

# H O L L A N D I A

## C O M I T A T V S.

*De nomine  
Hollandiae.*



ATAVIÆ nomen vetus est, Hollandia recens. Illius nomine veniebat omnis ille terrarum tractus, qui continebatur inter utrumque cornu Rheni, & Oceanum: ita ut præter Hollandiam et jam complectetur ditionem Ultragætinam, & Septentrionalem partem Ducatus Gelriæ. Retinet hodie priscum vocabulum inter Culenburgum, Buram, & Tilam, oppida Gelriæ, ubi hodie nobilis illa insula Batavorum, *de Betuwe* vocata. Vnde autem natum recens Hollandia nomen, variae sunt doctorum sententiae. Nonnulli *Hollandiam*, sive *Houtlandiam* prius dictam conténdunt, id est, lignorum terram. Volunt enim silvis arboribusque densam fuisse, & hinc molliore pronunciatione Hollandiæ dictam. Alii vocem compositam esse ajunt è duabus hisce Teutonicis vocibus, *Hol*, quod est *cavum*, & *land*, id est, terra, quasi concavam terram dixeris. Plurima enim loca sunt, per quæ si curru aut equo veharis, ipsam terram tremere sentias ac concuti, non aliter, ac si aquis supernataret. Scribit Iacobus Meyerus Annalium Flandriæ autor lib. xi, *Veruntamen constat hanc appellationem admodum esse recentem*. Nam Hermannus Contractus, qui scriptit ad annum Domini 1066, in fine, ubi de Theodorico Marchione quarto ejus nominis pluribus locis fit mentio, nusquam Hollandiam nominat, sed ubique Fladirtingam. Ab eo puto oppido, quod hodie haud procul Oceano nominatur Vlardingem. Quod Gerardus Noviomagus vestigiisimum esse afferit, vocatq; Vlardingam, & Vlardin-giacum. Fladirtingam autem non pro oppido solum, sed pro ipsa regione ponit Contractus. Hactenus ille. A Septentrione & Occasu clauditur mari: à Meridie Mosam habet & Brabantiam: ab Ortu partim est lacus Flevus, vulgo *de Zuiderzee*/partim Ducatus Gelriæ. Sic ut peninsulam, non autem, ut quidam dicunt, Insulam Batavorum efficiat. Regionis ambitum ad 60 milliaria extendi volunt. Longitudo ejus magna secundum oram maritimam, inde ab Insula Scellinga ad Septentrionem, ad Scaldiam Zelandiæ insularum unam. Latitudo per exigua est, & nusquam fere septem octavo milliaribus major. quandoquidem è meditullio illius creditur viatori trium horarum spacio hinc ad Oceanum, illinc ad extremos illius fines patere aditus. Ex quo estimari potest, Hollandiam à reliquo Bataviæ veteris corpore deductam, longa tenuis aut litui incurvi faciem præ se ferre. Irrigatur maximis fluviis, Rheno & Mosa, qui, compluribus velut ramis & cornibus, alia passim atque alia adsciscentibus nomina, eam pererrant. Quibus incolæ ta-

men non contenti, maximam ipsi naturæ artem atque industriam adjecerunt, ductis passim tot alveis, canalibus, incilibus fossis, aliisque id genus aquagiis, ut non omnia oppida modo, sed & pagi pleriq; terra simul & aqua commode adiri possint. Regio ipsa palustris, stagnis, & lacibus passim referta, è quibus non ita pridem Beemstrius & Purmerendanus exiccati, ac pulcherrimis villis insignes, amoenissimos Amstelodamensis potissimum mercatoribus recessus præbent. Cœlum, non obstante ingenti aquarum copia, & maris vicinitate, benignum apprime & clemens. Solum adeo humile & depresso, ut omnia pene flumina, omnesque majores & reciprocum maris æstum admittentes fossæ, ne videlicet ipsam terram inundent, aggeribus clausa sint; unde multis in locis viideas aquas non sine ingenti admiratione longe, quam terra sit, altiores. Vinum non fert, quo tamén aliunde invecto abundat. Lanarum non magna copia, & tamen infiniti hic ex lanis exoticis texuntur panni. Materiam architectis non suppeditat, & plures tamen in ea exstruuntur naves, plures lignei aggeres, aliaque id genus opera, quam in reliqua omni pene dicam Europa. Atque hæc quidem miracula Hollandiæ eleganti carmine complexus est Iosephus Scaliger ad lanum Dousam:

*Ignorata tua referam miracula terre,  
Dousa, peregrinis non habitura fidem.  
Omnia lanitum lassat textrina Minerva,  
Lanigeros tamen hinc scimus abesse greges.  
Non capiunt operas fabriles oppida vestra;  
Nulla fabris tamen hac ligna ministrat humus.  
Horrea triticea rumpunt hic frugis acervi;  
Pascuis hic tamen est, non Cerealis, ager.  
Hic numero faeri stipantur dolia cellis,  
Quæ vineta colat, nulla putator habet.  
Hic nulla, aut certe seges est rarisima lini,  
Linifici tamen est copia major ubi?  
Hic mediis habitamus aquis, quis credere poscit?  
Et tamen hic nullæ, Dousa, bibuntur aquæ.*

Habet porro hæc regio agros frugiferos quoque, & quidem luxuriosos & opimo frumento supra modum scatentes (tritico præsertim excellentiori in agro Rhenoburgico prope Lugdunum Batavorum) sed qui tantillo in spacio, & in regione, qua non aliam habitatoribus frequentiorem usquam invenias, ad suppeditandam tantæ multitudini alieniam sint impares. Pascuis autem, præcipue in parte Boreali, nulli Belgicæ parti cedit. Hinc præcipui proventus existunt. Siquidem è caseo & butyro, quæ exportantur in externa loca, in singulos annos ducenties festertium cogi putatur, quæ summa ad decies centena Carolæorum millia extenditur. præter ea, quæ in quo-

*Regionis  
indoles.*

*Termini.*

*Ambitus.*

*Flumina.*